Sit omnibus notum. Quod ego Raimundus Xatmar, non vi, dolo, metu ve inductus, nec ab aliquo circumventus, set gratis et ex certa sci-
encia, et spontanea voluntate, et de jure meo plene certioratus, per me et per omnes heredes et successores meos, vendo et titulo vendi-
cionis trado vel quasi tibi Natali Bremodi parrochie de Villablarexio et tuis imperpetuum pro libero et francho alodio. Directum dominium
et totum jus quod habeo et habere debeo in persona tua, et uxoris tue Ermessendis, et infantum tuorum natorum et nasciturorum, et in manso tuo
Bremundo sive borna, qui sive que per me tenetur, et in omnibus honoribus, terris et possessionibus eiusdem mansi sive borne, qui et que per
me tenentur, et in universis bonis mobilibus tui et uxoris tue, et infantum tuorum natorum et nasciturorum presentibus et futuris. Item omnes census,
taschas, agraria, terremita, tercia, laudismia, foriscapia, redepciones hominum et mulierum, proventus, esdevenimenta, et intratas, exitas, exor-
chias, intestias, cugucias, et omnia que ad directum dominium pertinere noscuntur, et questias, toltas, forcias, suicia, adempriva, jovas, tra-
ginas, batudas, gueytes, operas, et alias quascumque servitutes et servicia. Et generaliter omnia et singula dominia et jura hic expressa
et non expressa, que de jure vel de consuetudine et juste vel injuste habeo et accipio, et habere et accipere debeo, et ad me spectant et spectare
debent, quacumque racione vel modo, in dicto manso sive borna et eius honoribus et pertinenciis universis, et in personis et bonis mobilibus tui et
uxoris tue, et infantum tuorum natorum et nasciturorum, prout melius ad utilitatem tuam et tuorum potest intelligi atque dici. Quas quidem taschas et
agraria tu et tui possitis levare et retinere ad opus tui et tuorum, prout ego poteram levare, et tu michi prestare tenebaris. Volens et mandans
cum hoc presenti publico instrumento vice epistole gerenti, tenentoribus et personis dicti mansi presentibus et futuris, ut tibi vel cui volueris, homagium faciant
et fidelitatem promittant ac respondeant de omnibus in quibus michi respondere tenentur. Ego enim absolvo te et eos ab omni homagio et fideli-
tate et dominio, quibus michi teneamini pro predictis, eosdem tamen in tuum et tuorum et quorum volueris jus dominium et posse libere transferendo. Ceden-
do et dando tibi et tuis in predictis omnibus et singulis, omnia jura mea, dominia et loca, et omnes voces, raciones et acciones meas, michi in predictis
competentes et competituras, ad omnes tuas et tuorum et quorum volueris voluntates imperpetuum pro libero et francho alodio faciendas, sine aliquo re-
tentu meo et meorum. Constituens me predicta tuo nomine possidere vel quasi donec corporalem acceperis possessionem, quam licet tibi auctoritate propria
quandocumque volueris accipere et deinde tenere imperpetuum retinere. Hanc autem vendicionem tibi et tuis imperpetuum facio, pro libero et francho alodio.
Precio quatuor mille solidorum Barchinonensium de terno, quos a te confiteor recepisse et habuisse. Renunciando excepcioni non numerate et non
recepte pecunie et precii non habiti. Et si forte predicta que tibi vendo valent plus vel valebunt precio antedicto, totum tibi et tuis do-
no donacione irrevocabili inter vivos. Renuncians sciens illi legi qua deceptis ultra dimidiam justi precii subvenitur et excepcioni
doli et accioni in factum et restitucioni in integrum et omni alii juri in contrarium venienti. Promittens tibi et tuis per me et
meos, predictam vendicionem semper tibi et tuis facere habere, tenere et possidere in pace et secure contra cunctos pro libe-
ro et francho alodio. Et si forte tibi vel tuis in predictis per aliquem moveretur questio aliqua vel demanda, statim ante litis con-
testacionem et cause ingressum promitto me ponere ante te et tuos, et suscipere in me totum honus litis et causam ducere
ad effectum a principio usque in finem, et inde te et tuos defendere et in dempnes de omni interesse penitus servare expensis meis, et teneri
tibi et tuis de eviccione et interesse. Vel tu vel tui si volueritis possitis dictam causam ducere per vos ipsos, eleccione super hoc tibi
et tuis reservata et non teneamini hoc michi vel meis denunciare. Remittens tibi et tuis ex pacto necessitatem denunciandi. Et si for-
te tu vel tui dictam causam in propria persona ducere eligatis, promitto tibi et tuis restituere omnes expensas ipsius cause et litis,
et omnia dampna et interesse que inde sustinueritis in judicio vel extra, sive obtineatis in causa sive succumbatis, et quicquid et quan-
tum a te vel a tuis evictum fuerit de predictis, super quibus omnibus credamini simplici verbo vestro sine testibus et juramento. Ita et quod doli
culpa vel negligencia aliqua super predictis non possint per me vel meos contra te vel tuos aliquatenus allegari. Et pro hiis et de
eviccione et interesse obligo tibi et tuis me et heredes et successores meos et omnia bona mea ubique habita et habenda. Et ad maiorem
firmitatem juro sponte per deum et eius sancta .iiii. evangelia corporaliter a me tacta predicta omnia semper rata et firma habere et
attendere et complere et numquam in aliquo contravenire aliquo jure sive causa. Et ego Guillelma uxor dicti R. Xatmar
supradictis omnibus consenciens firmo et laudo omnia et singula supradicta et promitto tibi dicto Natali Bremodi et tuis, ac spon-
te juro per deum et eius sancta .iiii. evangelia corporaliter a me tacta contra predicta non venire racione sponsalicii mei vel alia racione. Re-
nuncians sciens certiorata de jure meo beneficio senatus consulti Velleyani et juri ypothece mee quod habeo in bonis dicti
viri mei racione sponsalicii mei vel alio modo et omni legum auxilio. Actum est hoc tercio nonas januarii anno domini millesimo .ccc. [illegible]
nodecimo. Signum R. Xatmar. Signum Guillelme eius uxoris predictorum qui hec firmamus et laudamus. Testes huius rei sunt Bereng-
(Renaldi jurisperitus et Petrus de Trilia draperius et Petrus Logaria de Gerunda et Bn. de Sancta Pace miles et Guillelmus de Bu-
guis de Sancta Pace.

Ego Guillelmus de Cuerio publicus notarius substitutus auctoritate regia a Raimundo Simonis de Toplano publico Gerunde notario hec scribi feci et clausi cum supra-
scripto in linea .xxviii. ubi dicitur defendere.

Nº 12 Llibre 22 f 29 Vilablareix 3-1-1320 nº 516

Venda de la dèc[im]a s[obr]e ij censos ij ... e tres servituts del mas Bremond de Vilablareix ... per Ramon Bermar a Nadal Bremund de dit lloc de Vilablareix las quals cosas dit Bermundi venè al comunè del s[eny]or Daniel com consta ab la altra que estava al peu de aquest

A 3 janer (1319.) 1320

Vilablarex.

~~Censo fett per ambromon~~

~~... de montpeller~~

AC f 80 Nº 1 del plec prime de Vilablareix

T. 490 x 272

538